

Alpina perdomiti. Cassiodor. ad a. 729: *Salassos Caesar perdomuit*. Suet. Aug. 21. Etiam in Tropaeo Augusti, de quo suo loco dicemus, inter gentes Alpinas devictas connumerantur Salassi. Eo ipso loco, quo Varro castra habuerat, colonia condita est eoque deducti sunt tria milia veteranorum ex praetorio. Strabo l. c.: *τρισηλίους δὲ Ῥωμαίων πέμψας ὤκισε τὴν πόλιν Ἀργούσταν ὁ Καῖσαρ, ἐν ᾧ ἐστρατοπέδευσε χωρίῳ ὁ Οὐάβρων*. Dio l. c.: *καὶ αὐτῶν ἡ ἀρίστη τῆς γῆς τῶν τε δορυφόρων τισὶν ἐδόθη καὶ πόλιν τὴν Ἀργούσταν Πραιτωριανῶν ὀνομασμένην ἔσχεν*. Plinius h. n. 3, 17, 123: *coloniae . . . Salassorum Augusta Praetoria iuxta geminas Alpium fores Graias atque Poeninas*. Ptolemaeus 3, 1, 34: *Σαλασσίῳ ὑπὸ τοῖς Ἰνσοῦβροις Ἀργούστα Πραιτωρία κολωνία*.

Augusta Praetoria universaque vallis Augustana ad ipsas usque opinor summas Alpes Graiam et Poeninam Italiae finibus comprehensae fuerunt, ut inter alios Plinius h. n. 3, 5, 43 longitudinem Italiae computat *ab Inalpino fine Praetoriae Augustae*. Sed non abs re videtur esse hoc loco paucis exponere de provincia procuratoria hisce Italiae partibus contermina Alpium Graiarum et Poeninarum, quo tempore constituta sit. Et Ptolemaeus quidem cum Ceutrones Graiarum Alpium incolas (cf. *Alpes Ceutronicae* Plinii h. n. 21, 42, 240) cum oppidis eorum Foro Claudii (cf. tituli dedicati a Foroclauidiensibus Ceutronibus reperti in oppido Aime in Tarantasia apud Guichenonium 1, 34) et Axima (hodie Aime) in Italia collocet (3, 1, 37), similiter etiam Plinius (3, 1, 135) Ceutrones Italiae attribuat, inde satis constat Graias Alpes, id est Sabaudiam eo tempore Galliae partem non effecisse. Ipsius autem Italiae pars ea regio nullo tempore fuit. Quare cum Plinius et Ptolemaeus procuratorias provincias Inalpinas cum Italia coniungere soleant, iure colligemus eo tempore ut Cottias Alpes et Maritimas ita Graias quoque suum procuratorem habuisse et propter id ipsum ad Italiam apud illos auctores referri. Verum est eiusmodi Alpium Graiarum procuratorem nusquam diserte nominari; sed latet fortasse sub appellatione *procuratoris Alpium Atractianarum*, quae reperitur in uno titulo Orell. 2223 (cf. Segusinus n. 7313 *L. Atractii Quietii*). Nam cum eae Alpes ubi fuerint ignoretur, suppetias fert aliquatenus titulus alius Faleriensis (Orell. 3888) saeculi opinor tertii *procuratoris Alpium Atractianarum et Poeninarum iur(e) gladii*, quem procuratorem cum praesidis loco fuisse propter ius gladii certum sit, etiam procuratorem illum Alpium Atractianarum magis est ut inter procuratores praesides referamus quam inter procuratores rei privatae. Provincia autem saeculi tertii procuratoria Alpium Atractianarum et Poeninarum omnino ipsa est *Alpium Graiarum et Poeninarum* saeculi quarti. Nominatur ea primum in catalogo Veronensi (n. 68) scripto imperante Diocletiano; complexam esse cum Sabaudiam tum vallem Poeninam

inde maxime intellegitur, quod in notitia Galliarum (Brambach mus. Rhen. 23, 284) in ea recensentur urbes duae *metropolis civitas Ceutronum Darantasia*, id est Moutiers en Tarantaise, et *civitas Vallensium Octodurum*, id est Martigny. Itaque Alpes Atractianae et Graiae itemque Ceutronicae eadem videntur fuisse et ab his provincia originem cepisse. Nam vallem Poeninam certe ad id tempus, quo scripsit Ptolemaeus, id est ad saeculum secundum medium, procuratori Raetiae paruisse alibi (vol. 3 p. 707) demonstravi. Deinde Marcus cum Raetiam denuo ordinaret eique legatum praeficeret, ne is a Danuvio ad partes longe dissitas avocaretur, vallem Poeninam Atractianis sive Graiis Alpium videtur adiunxisse. Ita ad Sabaudiam antiquam accrevit vallis Rhodani superior quartoque saeculo provincia haec comprehendebatur dioecesi Galliarum testibus provinciarum laterculis emendatis omnibus, meroque scribae errore in quodam eorum relata invenitur ad Italiam (v. Polemii Silvii laterculi ed. meam p. 248). Augusta autem Praetoria nullo tempore, ut dixi, sub procuratore eo fuit, sed oppidum et fuit et mansit Italiae extremum.

Ex tot quot condiderunt Romani oppidis nullum vetustam formam vel hodie tam perfecte servat quam antiqua Augusta, condita, ut supra vidimus, in ipsis castrorum Varronianorum vestigiis. Forma quadrata est; supersunt adhuc muri duo breviores m. 572 sive pedum R. 1940, duo longiores m. 724 sive pedum R. 2450; portae occidentalis reliquiis a Gallis a. demum 1810 barbaramente deiectis porta orientalis adhuc stat duplex cum area interposita; stat ante eam extra urbem arcus insignis, quem ipsum esse a. u. c. 729 propter victoriam Salassicam Augusto decretum a senatu populoque Romano (Dio 53, 26; vide infra caput de Tropaeo Augusti), quamquam probari non potest, cum inscriptio deciderit, probabiliter Promis coniecit. Supersunt et amphitheatri egregia pars et theatri supersuntque aliae quoque reliquiae non eruditis solis iusta miracula. Sed de his ut disputemus cum nec propositum operis admittat nec nostra tenuitas, Caroli Promis praeclarum de aedificiis Augustanis commentarium cui haec studia cordi sunt sane non negleget.

De tribu Augustanorum adhuc non satis constat, cum nulla quod sciam extat militis inscriptio inde oriundi, ex domesticis autem una sola n. 6838 tribum habeat Sergiam. — Magistratus inveniuntur *II viri* n. 6842. 6897, *aediles* n. 6838. 6842. 6897, *quaestores* n. 6842; ex sacerdotibus *flaminica* n. 6840, item *sexviri Augustales* n. 6828. 6837. 6897 sive *sexviri* nude n. 6897.

Adiunxi ad titulos proprie Augustanos qui reperti sunt in vicis proximis S. Christophe et Gressan.

6828 ara quadrata optime scripta. Aostae rep. 30 Jun. 1838 *nel jubé della cattedrale*, extat ibi in claustro.

I^{us} SALVIVS · MYRO
III^{us} VIR·AVGVSTAL
DIANAE
SACRVM

Contuli. Aubert Aoste p. 187; Promis Aosta p. 30.

1 P-SALVIVS Promis; Gal praepositum legisse in ipso lapide SALVIVS Aubert affirmat. Nunc est ut dedi.

6829 arula. Augustae inventum terram fodiendo in praepositurae aedificio, marmore elegantissimo PINGON. similiterque IACOBON.; in domo praepositurae VIOT, GUICH. Apud domum fratrum LIBO MONT.; *dans la cour des hoyrs du feu avocat Liboz MOCH. Sur les murailles du jardin de l'avocat Brunel MURATORIANA. Autrefois dans la cour des frères Lyboz, depuis longtemps dans celle de la prévôté; emportée avec l'agrément des chanoines par M. l'Avocat Reboigliatti GAL 1831*. Postea Ivreae in hortis olim Perrone, nunc Giusianae.

IOVI · IVNON · MINER
· ANTONIA · M · LIB
APHRODISIA·SCYPHOS·II·
VENEREM SPECVLVM
5 DONVM·DEDIT

Contuli. Pingonius ms. f. 154', a quo videtur habuisse Iacobonius app. ad Font. p. 18 (inde Grut. 5, 6; Orelli 1279); Viot *hist. d'Aoste* ms. in appendice eodemque exemplo Guichenon 1, 47 qui vidit; Monterin p. 9; Gioffredus theatrum stat. Pedem. 2, 43; Bernard *vie du grand S. Bernard* (1683) p. 79 ex Monterino; Mochet ms. f. 15; Ricolvi et Rivautella marm. Taur. 2, 106 (inde Donat. 10, 1); de Loges p. 33; Gazzera ms. et act. Taur. ser. 2 vol. 14 p. 4; Promis Aosta p. 28.

2 LIB auctores antiquiores, scilicet Ping. Iacob. Viot Guich.; LIBO hodie est in marmore habentque auctores inde a Monterino Gioffredo Mocheto. Mihi dubium non est litteram O additam esse eo tempore, quo aram comparaverunt Libones, ut ita eorum gentilicia fieret. — 3 fin. per II linea trajecta est, sed male facta et imo loco posita, ut nequaquam pro H accipi debeat. — 4 VENEREVVM Iacobonius ex interpolatione.